



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. XLI. Maria datis ex arce sua ad Senatores literis questa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

## §. XLI.

Sæcul. XVI.

A. C. 1553.

*Maria datis ex arce sua ad Senato-*  
*res literis questa.*

Quamprimum Maria Henrici VIII. Filia Eduardi mortem compererat, quantocius ex arce sua, ad quam sese receperat, literas ad Senatores dedit, hæc significans. „Vehementer miror, „quod de obitu fratris mei a vobis certior factus non fuerim, cum tamen illum jam ante triduum obiisse aliunde intellexerim; vobis tamen legitimum, „quo ad Regni coronam vocor, successoris jus haud incognitum esse potest, „hinc ex vestra hac socordia satis manifeste comperio, quod sinistra adversus me consilia cudatis: nec minus nota mihi quoque sunt ea, quæ promisistis, ac decrevistis, nihilominus omnia in bonam partem vertere, illisque, qui meam implorabunt veniam, commissi criminis veniam dare parata sum, interim vobis injungo, ut pro juris mei debito me Londini in Angliæ Reginam proclamari faciatis... Data hac epistola mox Maria Regio-Halla, seu Kennigshalla discedens Framingam Suffolciæ castellum secessit, eo per Norfolciæ Provinciam delata. Porro hunc sibi recessum selegerat, duabus, iisque sat gravibus rationibus permota, qua-

Pp 4

rum

**Sæcul. XVI.** rum prima erat, quod Northumbriæ  
A.C. 1553. Dux ob pœnarum severitatem, qua in  
nupera seditione hujus Provinciae inco-  
las mulctabat, fese eisdem oppido exo-  
sum reddidisset: altera vero erat hæc,  
quod hoc castellum, cum mari sat vici-  
num esset, magnam in Flandriam ad  
Carolum V. auffugiendi opportunitatem  
subministraret, si forte ejus rebus mi-  
nus prosper arrideret successus: Post-  
quam igitur illuc advenerat, mox se Re-  
ginam nominari, ac Nordonici procla-  
mari jussit, scripsitque literas encycli-  
cas ad omnes Regni Nobiles, quibus  
eos hortabatur, ut coronæ ipsi debitæ  
jura tuerentur.

§. XLII.  
*Joanna Graja non sine repugnantia  
Sceptrum acceptans.*

Interea Northumbriæ Dux, qui hu-  
usque Regis obitum sollicite celave-  
rat, prodiit secreto die octava ejusdem  
Mensis Julii Eduardum morte sublatum  
evulgari jussit, ipse vero unacum Suffol-  
ciensi Duce promulgabat, quod Joanna  
Graja in Angliæ Regnum succederet,  
eo quod Eduardus ante obitum suum id  
testamento cassisset, eamque Reginam  
declarasset. Eo tempore Joanna non-  
nisi decimnm sextum ætatis annum age-  
bat, nihilominus quamvis discretionis vis  
in